

tionem afferentes, servant nihil de plenilunio.

Post Eusebium, & S. Hieronymum, quicumque inter Græcos, & Latinos de testimonio hoc Phlegontis aliquid resciverunt, omnes ferme habuerunt persuasum, non aliud referendum esse, quàm ad obitum Jesu Christi, credendi ansam præbente temporis circumstantiâ, componitur enim cum anno 18. Tiberii, Aera scilicet vulgaris 33. De eclipysi quidem sermo est apud Phlegontem; quæ autem tenebræ terræ faciem tenuerunt in obitu Christi, aliunde sanè quàm ex eclipysi repetendæ sunt: fieri tamen potuit, ut Phlegon in publicis sub Tiberio monumentis legens historiam tenebrarum sub meridiem, quibus tanta orbem occupavit caligo, ut vel Sidera in Cælo apparerent, nihil ultra discutens, eclipysim reputaverit. Hæc planè circumstantia, quæ imprudenti viro exciderit, tanti faciendæ non est, ut rejiciendum suadeat totam ejus historiam, testimonio Evangelistarum in reliquis omnibus sat conformem.

a *Animadvers. de Relig. Christ. t. 1. pag. 321. Gallid.*

b *Vide Toy-nard. Harmon. Evang. pag. 131.*

c *Philopon. l. 2. c. 2. pag. 88. 89.*

d *De Doctrina temporum, l. 12. c. 21. pag. 438. Vide etiam Tillemont. not. 35. in Jesum Christum 10. pag. 474.*

Hæc autem multò erunt persuasibiliora, si vera sint quæ ponit D. Ferrandus (a), nullam reipsa contigisse, sed ne potuisse quidem eclipysim solis quarto anno Olympiadis 202. sed unam tantùm lunarem spectatam semihorâ post tenebras, de quibus in Evangelio. Porro certus ejus eclipysis temporis articulus fuit paulò post decessum Jesu Christi; duravit autem 3. horis circiter, medio lunaris magnitudinis disco occultato (b). Ita factum est, ut unâ eademque die sol pariter & luna deficerent, atque tenebris vestirentur, ut sua de utroque astro fides constaret Prophetarum oraculis.

Ut autem ad Phlegontem regrediamur, alia sunt etiam quæ in ejus textu negotium facessant. Eusebius, Philoponus (c), Chronicon Alexandrinum, Julius Africanus apud Syncellum, apertè docent, eclipysim, de qua Phlegon, spectatam anno 4. Olympiadis 202. P. Petavius (d) contendit, corruptum esse locum, & pro anno quarto legendum annum 2. Olympiadis 202. Nullum pro se asserti sive M. seu veteris alicujus Scriptoris auctoritatem, nec incompatibiles esse Chronologiæ characteres cum epocha illa demonstrat. Observat tantùm, Eusebium, & Julium Africanum, Jesu Christi obitum nequaquam consignare ad quartum hunc annum, sed ad secundum vel tertium ejusdem Olympiadis 202.

Quis autem sibi persuaserit, testimonio Phlegontis illos uti voluisse, si persuasioni suæ, adedque intento minimè conducens, deprehendissent? Habebat ergo Textus Phlegontis non quartum, sed alterum annum Olympiadis.

Reponimus hæc, 1. Nefas esse, nullâ adigente necessitate, validis non cogentibus argumentis, veterem lectionem, uniformi omnium Exemplarium assensu confirmatam, corrigere. 2. Quando verum esset, deceptos fuisse Eusebium, & Africanum in componendo textu illo Phlegontis cum systemate suo Chronologico de

anno emortuali Jesu Christi, non tantùm tamen deferendus esset & lectio corrigenda, quippe quæ favet epocha hodie in Ecclesia maximè obtinenti. 3. Tandem Eusebius constituit Baptismum Jesu Christi per S. Joannem anno 1. Olympiadis 202. & 15. Tiberii, & ejus obitum anno 4. ejusdem Olympiadis, 18. Tiberii. Solæ Græci Chronici Editionis Scaligerianæ lectio ad paginam 202. & in Latina Editione ad pag. 158. docere Lectores potest. Addit Eusebius in eodem Libro, hujus systematis sui rationem notans, post annum 15. Tiberii (primus est Olympiadis 202.) Jesum Christum tres inde annos, juxta S. Joannem, in prædicatione perseverasse; quare ejus obitus necessariò consignandus est ad ann. 18. Tiberii. Ad Julium Africanum quod attinet (e), notat ille non obscurè annum 2. Olympiadis 202. qui cum Tiberii 16. congrueret, exitum imponere 70. septimanis Danielis.

Præter Phlegontem, laudat etiam Julius Africanus (f), Thallum quendam Græcum historicum, qui in tertio Historia suæ Libro meminit tenebrarum (eclipysim dicit) in obitu Christi. Cùm tamen hæc tribuat eclipysi, falli virum notat Africanus, quòd nulla sit solis eclipysis in plenilunio. An Eusebius locum hunc Thalli insinuaverit, cùm suppresso nomine hæc reperisset in monumentis Græcis habeat, verfor in incerto. Habet igitur Eusebius: Anno tertio Olympiadis 202. solis facta defectio, & tenebra super universam terram. Bithynia terræmotu concussa, & in Urbe Nicæna ades plurima corruerunt (g). Certa ætas Thalli manet in obscuro; cùm tamen S. Justinus (h), & Tertullianus (i) mentionem de illo habuerint, cœvus, vel fortè ætate vetustior Phlegonte statuendus est.

Ad Annales Phlegontis & ad historiam Thalli provocasse facilè Paganos censendi sunt Tertullianus, & S. Lucianus Martyr Antiochenus (k), ut certiores fierent de prodigio tenebrarum in obitu Christi. Suspiciatur autem D. Tillemontius, Phlegontem, & facilè etiam Thallum, totam eam historiam resciscere potuisse ex relatione, quam Pilatus de obitu Christi miserat ad Tiberium. Utcumque autem res habeat sese, nulla suppetit ratio satis convincens, quæ deserere nos cogat celebre hoc testimonium, aded planè conformè & Evangelistis & Chronologiæ à nobis constitutæ, ac tandem plurimùm Religioni nostræ favens.

Utriusque igitur testimonio adoptato, statuamus oportet, tenebras illas paulò ante Christi obitum causam suam prodigio debuisse. Quæ verò Phlegon eclipysim reputavit, hæc referenda potius in cruxam quandam ante solis discum concretam, quæ validè aded solares radios per tres integras horas retudit, ut nossem induceret, vicariam solis lucem gerentibus, quæ resulerunt in Cælo, stellis; tenebras verò illas longè latèque terram tenuisse. Nihil autem esse quòd miremur, si in Tabulis Astronomicis rei hujus historia desit; nec enim tantùm supra naturam fuit, sed

e *Vide ejus Fragm. in Chron. Græc. Euseb. pag. 77. & apud Syncell. Idem ibid.*

g *Euseb. Chron. Græc. pag. 202. h Cohort. ad Gent. Vide Voss. de Hist. Græc. l. 3. pag. 417. i Apologet. c. 10. k Apud Rufin. Hist. l. 9. c. 6. pag. 149.*

repugnat etiam naturæ legibus, ut eo tempore solis defectus contingeret. Hypothesis nubium, quibus aer occuparetur, nunquam congruere potest cum opinione stellarum in Cælo eâ occasione apparentium, quas planè stellæ nubes & caligo terræ offusa perinde ac solis lucem prohibuissent. Quæ

tandem habet Pseudo Dionysius Areopagita, de cujus auctoritate Scriptoribus quamplurimis etiam vetustissimis, impositum est, non repugnant tantùm historica veritati, sed & incommodis etiam pluribus ex eo obnoxia sunt, quòd prodigia nullâ cogente necessitate accumulunt.

DISSERTATIO

DE RESURRECTIONE SS. PATRUM,

Quo tempore Christus rediit ad vitam, ad Matth.

27. 51. 52.

Vix extremum spiritum egerat Christus, cùm terra mota est, (ait S. Matthaus 27. 51. 52. 53.) & petra scissa sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt; & exeuntes de monumentis, post resurrectionem ejus venerunt in sanctam Civitatem, & apparuerunt multis. Veluti si Christus eo virtutis suæ argumento demonstrare voluisset, victoriam se de morte reportasse; venisse, se pariter ad revocandos velut è sepulchro miseros illos mortales, qui criminis letho oppressi jacebant. Tandem monumenta aperta sunt, ait S. Hieronymus ad Hedibium Epist. 52. in signum futura resurrectionis.

Cum igitur argumentum versemus, in quo jucunditatis est plurimùm multâ cum utilitate conjuncta, ac quaestiones ex illo plures non inane: a formentur; fufius discutendum suscipimus, quærentes, quinam potissimum redierint ad vitam; quando redierint; qua formâ, quo corpore paruerint; an secundò obierint, sive potius ascenderint cum Christo in Cælum, ut æternâ non solum animâ sed & corporis vitâ fruenterent. Quæ in re integrum est cuique, ut quancumque maluerit, sequatur sententiam; agit enim de argumento in utramque partem versato à Patribus & Recentioribus quibusque Scriptoribus; neque ullum asserti Religioni discrimen, modò certa constituatur, ut reipsâ constituitur apud omnes, historia Evangelicæ veritas, totâ controversiâ ad circumstantias, rationes prodigi, & quæ prodigium consecuta sunt, redactâ.

Certus eorum numerus, qui ad vitam revocati sunt, sicut & qui potissimum revocati ad vitam statuuntur, exactè satis designandus, non sine temeritatis nota susciperetur. Hæc tantùm de illis Evangelista: Multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Non igitur omnes; & siquidem verum sit, uti constituunt Interpretes quidam, terræmotum illum & mon-

tium scissionem atque disrupta sepulchra non nisi Jerosolymis & in circumjacenti regione spectata fuisse; rectâ inde consecutione inferretur, illos tantummodo è viris Sanctis ad vitam rediisse, qui in iis locis sepultura mandati, digni sunt habiti, ut à Filio Dei eo beneficio donarentur. Si quis contendat, sepulchra Sanctorum patuisse sive per universam terram, vel saltem per Palæstinam, in tantâ terrarum extensione multo etiam magis in incerto vagabitur mens, ne quid statuatur satis exactum, sive de numero, sive de qualitate eorum, qui ad vitam regressi sunt.

Sunt qui credant, vetustissimis quibusque Patriarchis id privilegii collatum fuisse, quòd scilicet rei æquitas postularet, ut quicumque longiorem traxerant sperando Jesu Christo moram, citius pariter sentirent ejus adventus & Passionis præsentissimam efficacitatem. Quæ si vera sint, privilegium illud obtinuisse oportet Adam, Abelem, Seth, Mathusalem, Lamech, Noe, Sem, Abraham, Jacob, Joseph, Moysem, Josue, Davidem, Veteresque cæteros. Cùm autem non inverisimili conjecturâ credantur, veteres Patriarchæ antediluvianii, quin & cæteri omnes ante Abrahamum, vitam egisse ac sepultura fuisse mandati extra Palæstinam, arduo planè negotio ad vitam rediisse cum Jesu Christo demonstrarentur, eâ persuasione admittâ, sepulchra nimirum nonnisi in Judæa sive in circumjacenti Jerusalem regione patuisse. Adde, nonnisi verisimilia suspicari illos, qui tenent, revocatos fuisse potius ad vitam viros Judæis tunc superstitibus cognitos, vel ab eorum ætate non planè diffitos, quàm veteres illos Patriarchas, quorum nonnisi vetustate penè obliterata manebat idea.

Non abs re pariter reputarem, Prophetas adventus, ortus, vitæ, mortis, & resurrectionis Jesu Christi potissimos testes, quorum plerique sanguine etiam suo veritatem illam confirmarunt, inter primos habitos fuisse, qui fructus obitus & resurrectionis ipsius sentirent. Quare præ-

ferendi ceteris videntur Moyses, David, Samuel, Isaias, Jeremias, Ezechiel, Daniel, ceterique, quorum scripta supersunt; praefereudi, inquam, videntur ceteris, qui eodem licet Prophetiae spiritu animati, nullum tamen vaticinium suorum monumentum reliquerunt. Opinantur nonnulli, Jobam, & Jonam, & tres illos juvenes de fornace Babylonis liberatos, veluti Resurrectionis Jesu Christi typos & figuras (a), Isaiam veluti Prophetam Evangelicum, Melchisedechum veluti Sacerdotium Jesu Christi imaginem, Daniele veluti omnium exactissimè annos adventus Jesu Christi desinentem, ante ceteros resurrectionis beneficio potitos fuisse.

S. Epphanus in Anchorato c. 102. p. 103. mallet, praefereudos ceteris viros aetati Jesu Christi viciniore, qui facie nois erant Judaeis tunc superstitibus, quique testimonium post Jesu Christi adventum de ipso reddiderant, inter quos Zacharias pater Joannis Baptistae, Simeon grandaeus, S. Joannes Baptista, & probus ille Lathro. Lorinus in Act. 2. 29. feminas omnes a resurrectione excludit; habet enim persuasum, S. Virginem omnium primam inter feminas ad vitam revocatam fuisse, sicut & Jesus Christus primogenitus erat

Vide Pined. in Job 19. 25.

Coloss. 1. 18.

F. Luc. Brug. in Matth. 27.

Vide Chrysof. & Theophylact. in Matth. 27. Theodoret. Grot. Ligfoot. Ludovic. de Dieu, Heinsium. Origen. in Matth. 27. Raban. Maur. Paschas. Radbert. Beda, Gloss. ordinar. Lyran. Cornel. à Lapid. alii plures.

buerunt, nisi post Resurrectionem Jesu Christi. Tunc sanè, cum Jesus Christus rediit ad vitam, munere illi suo functi sunt, spectandos se in Urbe sancta praebentes.

Utramque sententiam in medium adducit S. Augustinus Epist. 164. nov. edit. ad Evodium num. 9. pag. 576. & neutram reprobatur, quin nec immoratur in illis discutendis, utpote ab intento suo alienis (f). Origenes tract. 35. in Matth. luculenter asserit, justos illos ad vitam rediisse non ante resurrectionem primogeniti ex mortuis. S. Gregorius Magnus similiter homil. 21. in Evangel. num. 6. de Christo habet: Solus mortuus est, & tamen solus minime surrexit. S. Hieronymus adhuc apertius profert testimonium in Matthæum 27. Quamquam enim, ait, in obitu Christi monumenta patuerint, tamen cum monumenta aperta sunt, non ante surrexerunt, quam Dominus surgeret; ut esset primogenitus resurrectionis ex mortuis.

Insinuare videtur S. Hilarius in Matthæum c. 27. resurrectisse illos eo temporis momento quo Jesus expiravit: Tunc, ait, monumenta aperta sunt, quod mortis vincula contererentur. Surrexerunt autem mortui, quia illuminans mortis tenebras, & Inferorum obscura collustrans, in Sanctorum, ad praesens conspicatorum resurrectione, mortis ipsius spolia detrahebat. Quibus verbis insinuat, Jesum Christum ad Inferos statim post obitum descendente, vitam continuo, antequam ipse resurgeret, defunctis restituisse. Apertius etiam S. Chrysostomus asserit, Christum in revocandis ad vitam famulis suis probe demonstrasse Judaeis, quam falsa obtruderent, dicentes: Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. Profectò si admirationi fuit Lazarus & tumulo revocatus, multò fuit admirabilius spectare Sanctos, qui ad vitam revocati videndos se pluribus obtulerunt (g). Theophylactus, & Graecorum ceteri, qui S. Chrysostomum praeceptorem sibi in omnibus constituunt, paria sentiunt cum illo, tenentes, mortuorum resurrectionem, antequam Jesus è cruce deponeretur, factam, in pignus datam fuisse & signum futurae eorum liberationis, qui in Inferis detinebantur.

Si tamen vera sint, uti nullus esse locus ambigendi videtur, animas Patriarcharum non ante ex Inferni carcere solutas fuisse, quam ad illos liberandos descenderet Jesus; neque prius eorum corpora ad vitam revocata, quam animae ex iis locis, ubi tandiu venientem expectaverant, liberae abire permitterentur; agnoscamus planè oportet, resurrectionem Sanctorum seriùs aliquanto consignandam esse, quam statim ab obitu Christi. Quamquam enim momento citius animae ex uno in alterum locum feruntur, ut quaecumque à Spiritibus ab omni secretis materia geruntur, temporis successione non indigeant; vix tamen fieri posse concipimus, ut unico temporis momento plura hac simul abfolverentur; Jesus nimirum ad Inferos descenderet; adventum suum annunciarer; Sanctos Patriarchas

Respondetur hoc dictum per anticipationem, ut monumenta quidem illo tempore aperta esse intelligantur. resurrectisse autem Justorum corpora non tunc, sed cum ille prior surrexisset.

Chrysof. in Matth. 27. homil. 88.

chas educeret & locis illis; animas corporibus innecteret.

Vide Origen. Clem. Alex. Iren. alios.

Antumarunt veteres Patres (b), traxisse Christum moram aliquam in Infernis, quippe qui praedicandum suscepit detentis ibi incredulorum animabus; quarum plures revocavit ad fidem. Alia est hodie quidem recepta in Ecclesia sententia; constat tamen, eos, quibus ista persuadebantur, autumasse, Sanctos non nisi post aliquid temporis ab obitu Servatoris ad vitam rediisse; nisi forte crediderint in dias luminis auras venisse illos, antequam Christus supra terram regrederetur. Nunquam autem legitimus, Christum praesentia suae super terram ulla exhibuisse argumenta, nisi post resurrectionem; quasi scilicet totum illud temporis intervallum egerit in Infernis, Sanctorum Patriarcharum animas solaturus (i).

Vide Euseb. Emis. hom. 6. in Pascha. Theophylact. & Brugens. in Matth. 27.

Est igitur cur autumemus, non nisi post Resurrectionem Jesu Christi, ad vitam Sanctorum habitus: an omnibus gloria & immortalitatis dotibus ornatus, quomodo post generalem hominum resurrectionem expectamus? an mortali corpore circumdati, quomodo factum novimus cum Lazaro, ceterisque revocatis ad vitam, quibus redita sunt mortalia corpora palpanda, & cibi potusque necessitati subiecti? an tandem fulgenti quadam, sed temporaria luce nitebant, solvendà brevi, postquam se videndos obtulissent? quemadmodum Moysis & Eliae corpora in ipso transfigurationis Jesu Christi articulo insigni rutilarunt fulgore, quo brevi dissipato, in pristinum statum redierunt. Elias enim ad locum suum, ubi Messiam opperiebatur, restitutus est; Moysis corpus tumulo redditum usque ad secundam peculiarem, vel saltem ad generalem corporum resurrectionem.

Horum solutio maxime omnium repetenda est ex his, quae deinceps differuntur, an scilicet Justo illi ad vitam revocati euntem in Caelum Jesum comitati sint, non animà tantum, sed & corpore; an sepultura iterum corpora illa restituta; ad novam resurrectionem sint reservata? Si quis velit, rediisse illos ad vitam, nunquam deinceps ponendam, ceteras illis beatitudinis dotes nequaquam inviderit necesse est, tenuitatem nempe, facilem per loca cuncta penetrandi virtutem, & cetera, quae Beatos decent. Si verò momento tantum, vel saltem producta ad horas, vel dies aliquos vitâ paruerunt, quemadmodum olim Moyses & Elias in monte Thabor; quae tunc fuerit mortalium horum corporum indoles, satis intelligere omnes arbitror.

Verùm enim verò vix datur ambigendi locus, sedulò distinguendum esse inter corpora simplicia, ut ita dicam, resurrectione donata, ac hominum consuetudini & vitâ restituta, ut constat de Lazaro ceterisque in Veteri Testamento, qui praesentissimam Eliae & Elisei opem senserunt; & Sanctos illos, de quibus modò, fat ex Evangelio intelligimus, viros illos

non omnium eque mortali in obtutibus subiectos fuisse sed pro arbitrio revelasse se se; quare vix est ut negemus, alio circumdatos fuisse corpore, quam quo mortales ceteri utuntur; neque enim pro arbitrio intuentium obtutibus nos permitterimus denegamusque. Pseudo-Justinus in Quaestionibus ad Orthodoxos quaest. 85. mediam in hac re viam tenens, agnoscit, viros illos Sanctos ad vitam rediisse nunquam deinceps ponendam; non tamen Caeli felicitate donatos credit. Data illis corpora nondum de gloria corporis Christi participaverant; transmutationem enim suam opperiantur; quemadmodum Henoch, & Elias superstites quidem adhuc, sed nondum praemio suo donati sunt; si quidem, addit ille, unus inter omnes Jesus Christus ad vitam haecque rediit immortalis, & incorruptibilis, veluti primogenitus mortuorum & primitiae dormientium.

Maneret ergo discutiendum, quis hodie sit corporum Henoch & Eliae status. Illos planè corpore à nostro difformi circumdatos, nihil est quod suadeat; eò tamen nobis sunt felicitates, quò corpora illa nullis humanis vicibus & imbecillitatibus obnoxia sunt. Verùm quando de Eliae & Henoch constaret, dubium tamen semper versaretur, an Auctoris hypothesis ipsa pariter constaret cum veritate. Ubi, rogo, locorum degunt Viri illi Sancti, si extra Caelum manent? Hac difficultatis solvenda ratio difficultates ipsas non minuit, sed auget; majus facefunt, quam quò liberamur, negotium. In re igitur incerta suspensos manere potius optamus, quam judicare quidquam tenere.

Quod verò in tota hac Differtatione arduum est maxime, illud reputandum est, an viri illi Sancti ad Caelum unà cum Christo ascenderint; an in terram ad communem cum ceteris mortalibus sortem manserint. Sunt in utramque partem non opiniones tantum, sed & auctoritatum ac rationum non infimi ponderis momenta. Ascendentem in Caelum Dominum exhibet Scriptura tanquam victorem quendam Regem, spoliis onustum, & captivorum, quos in libertatem asseruerat, factellio stipatum (k). Descendit ille in mundum; Praedicare captivis remissionem (l). Propius igitur verò reputandum est, in Caelum illum rediisse, pompam comitante manifestâ illâ captivorum turba; & cum rediret ipse corpus referens gloria & immortalitate donatum, par equidem videbatur, ut simili cum illo gloria fulgerent, potissimi resurrectionis illius testes atque amicorum intimi, quos maxime eade causa ad resurgendum unà secum invitaverat (m). An forte equum videretur, ut eorum animas à corporibus, cum quibus vinculum ipse sociaverat, revocaret; ut iterum corpora illa putrescerent in sepulchro? Nec sanè potuit absque intimo doloris sensu sociale illud vinculum dissolvi; cum tamen dolorem omnem à spiritibus beatis abesse par sit. An Deus collata à se dona, tactus poenitudine revocat

Vide Osee 13. De manu mortis libera bo eos, & ero mors tua, & mors. Psal. 67. 19. Ascendisti in altum, captivi captivitatem. Ephes. 4. 8. Ascendit in altum, captivi captivitatem, dedit dona hominibus. Luc. 4. 18. in Vide D. Thom. 3. par. quaest. 53. art. 3. ad 2. Maldonat. in Matth. 27.